

Ⲛⲓⲛⲓ  
Introductio.

**C**um Magiâ naturalis è qualitatibus tam manifestis, quàm occultis, altiùs atqve accuratiùs investigatis & suo modo, loco ac tempore applicatis, oriatur, jure merito illa doctrinæ de Qualitatibus à Physico subicitur. Hujus enim est considerare Magiam naturalem. Et cum opposita juxta se posita magis elucescant, Dæmoniaca subjicienda venit. Ejusdem enim Physici est judicare, an per verba usitata aut inusitata, significantia aut non significantia, Luna cœlo deduci aut corpora hominum mutari possint? Physici est judicare, an per indusium usu tritum inversum homines Meteora efficere possint? Physici est judicare, an fulgura ac tonitrua fieri possint per certas cremonias? Et quæ sunt sexcenta alia, non nisi à Physico censenda. Quæ de tamen Magiâ hic agit non directè, ceu in parte generali Physices agit de causis juxta atqve Affectionibus corporis naturalis; Sed indirectè. Hanc igitur de Magiâ doctrinam dum hac disputatione tradere intendimus, Sit bono cum DEO.

SECTIO PRIMA,

*Hujusq;*

Caput Primum,

*Explicans*

Definitionem Magiæ,

*quæ ita habet*

Magia est habitus rerum abditarum scientiâ, operumqve admirandorum arte constans.

§. I. Augustissimum nomen Magiæ regis ac planè divinis gaudet natalitiis. Magus enim, teste *Becmanno p. 693.* Originum, nihil aliud est, quàm sapiens vel Mysteriorum gnarus